

Franciscus Ciapponi et Soc.

OFFICINA

ANAGLYPTIS, GEMMIS CONCHISQUE

CAELANDIS

PRAESERTIM IN REDDENDIS FIGURIS

PHOTOGRAPHICE EXPRESSIS

Diligentia in opere.

Temperantia in pretio.

ROMAE, Via Sistina, 129

Gulielmus Gaudenzi

ROMAE

Tor Sanguigna, 2-3 - Via Coronari, 1

cuique suppeditat coronas, numismata, Christi crucifixi effigies, Sanctorum imagines tum insculptas tum omnibus modis impressas, metallis caelata opera ad sacra vel ad reliquias reponendas, pietatis libros, omniaque in Puellarum Mariae usum; pulchrarum artium specimina, musiva, caelatas sculptas gemmas et similia; quorum maximum apparatus possidet.

Gallice atque Hispanice loquitur.

Divisorium magnum, cui a Minerva nomen (^{Grand Hôtel}
^{de la Minerve})

ROMAE, Piazza della Minerva

Divisorium inter optima Romae, in Urbis centro, recens omnino instauratum et commodis omnibus instructum.

Sacellum pro Sacerdotibus ad sacra litanda

LEOPULDUS SCOTTI, moderator.

SUPELLEX

AD RES DIVINAS

Commentarii Vox Urbis administratio recto tramite suppeditat suppellectilem omnem, qua tum in templis, tum in oratoriis ad res divinas uti solemus.

Mandata ad Vocis Urbis administratorem (Romam, Piazza del Gesù, 48) mittantur, res praecise indicando quas quisque sibi cupit.

Gratuito sumptuum aestimatio fieri.

Apud Comm. VOX URBIS administratorem (Romae, piazza del Gesù, 48) quæ sequuntur opera venumdantur, per Commentarii ipsius paginas iam vulgata:

PETRI ANGELINI Lollius sive *De provecta latinitate.* — Ven. lib. 1,50.

Fabulae selectae Ioannis La Fontaine latine conversae a FRANCISCO XAVERIO REUSS, C. SS. R. — Ven. lib. 1,25.

Saturnio. Comoedia latinis versibus conscripta a IOANNE BAPTISTA FRANCESIA. (In ludis litterarum optima tironibus scenice agendi exercitatio). — Ven. lib. 1.

VOX VRBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Semel in mense prodit

Pretium annuae subnotationis, *ante solvendum*, est:

In Italia: Libellarum 6;

ubique extra Italiam: Lib. 9 (Doll. 1,80; Sh. 7; M. 7; Rubl. 4; Coron. 9)

Cuncta mittantur ad ARISTIDEM LEONORI equitem

Commentarii VOX URBIS possessorem et administratorem

ROMAM — Piazza del Gesù, 48 — **ROMAM**



Subnotatio fieri potest:

IN GALLIA

apud

Librairie Gamber

IN ANGLIA

apud

Burns and Oates

Paris

Rue Danton.

London W.

28, Orchard Street.

IN RUSSIA

Varsaviae Polonorum

apud

Gebethner et Wolf

Rakiewskie Przedmiescie, 15.

IN CANADA

apud

Librairie Granger Frères

"Kronika Rodzinna",

Krakowskie Przedmiescie, 6.

Montreal

1699, Rue Notre-Dame.



T. et G. Fratrum Parisi

ROMAE in ITALIA
in foro Campi Martii, 6



Vincentius Rigacci
officinae conditor
an. 1789.

PONTIFICIA OFFICINA
CANDELARUM AD SACRA

cui Summi Pontifices PIUS IX, LEO XIII, PIUS X
honores addidere

Candelae ad Sacra in Americas, in infimam Africam, apud Indos, Sinenses, Iaponios
atque in Australiam exportantur.



Novarum earumque latissimarum aedium prospectum damus, quas Fr. Parisi ad Can-
delas ad Sacra cereasque faculas ad noctem fabricandas recens in Urbe a solo excitarunt,
et cuique visitandas praebent per tesseram gratuito apud ipsorum centrale officium, Romae
in foro Campi Martii, 6, petentibus distribuendam.

Candelarum «tipus oeconomicus» perfectae exustionis venit lib. (francs) 225 cen-
tensis Kgr. — Merx nullo iubentis impendio in omnes orbis portus mittitur, dummodo tre-
centis saltēm cerae Kgr. constet.

Colligationes ab officina Parisi adhibitae eae sunt, quae deserti traiectionem in camelorum
dorso (viginti dierum iter) facilime perferant.

Commerciū epistolare habetur Italica, Latina, Gallica, Anglicā, Theutonica, Hispanica lingua.

Ann. XII.

ROMAE, Kal. Augustis M DCCCCIX.

Num. VIII.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Rerum index:

De humaniorum litterarum neglectu novae animadversiones.
Commentationes philologicae. — De Platone.

De re litteraria apud Subalpinos. — Camillus Beno Comes a Cavour.
Aéronavis. — Carmen IANUARII ASPRENATIS Rocco Afraglensis in certa-
mine poético Hoeufftiano anno MCMVIII magna laude ornatum.

Vox Urbis palaestra. — Sacra Expeditio ad Indos Navaones.
Ex Hibernia.

Mundanum scientiae sodalitium.

Acta Pontificia. — Sanctissimi Domini Nostri Pii divina providentia
Papae X litterae encyclicaes octavo exente saeculo ab obitu S. An-
selmi doctoris.

Ex SS. Congregationibus Romanis sententiae novissimae se-
lectae.

Diarium Vaticanum. — Coram SSmo admissiones. - Pontificiae electio-
nes. - Varia.

Annales. — Novus Persarum Imperator. - Mauritana res. - Ex infima
America. - Cretensis quæstio.

Publici per orbem coetus legibus ferendis.

Per orbem.

Aenigmata.

Aegyptii. — Caroli M. Rosinii Comoedia. (Recognovit I. F.).

DE HUMANIORUM LITTERARUM NEGLECTU NOVAE ANIMADVERSIONES ⁽¹⁾

Factum recens in medium afferre valet, cui nisi pro testimonio complures viri accederent gravissimi, de industria a nobis excogitatum confictumque esse videretur. Hominem in primis nobilem, sed in literis plane novum, cum aliis plurimi, qui dignitate perinde ac doctrina eminebant, convocaverat ad convivium vir in civitate quadam Europæ primarius. Quumque epulæ variis honestisque protraherentur sermonibus, accidit id, quod fere inter litteratos viros solet accidere, ut mentio fieret de iis optimis artibus, quas ut libero homine dignas, ita maiores nostri liberales, ac peculiari nomine bonas artes appellarent. Has itaque apud cives suos hoc quidem in tempore florentissimas esse partim contendebant, partim e contrario iacere et iam quasi ad interitum vergere. Quumque opinionem pro se quisque suam qua ratione, qua exemplis confirmaret, homo ille insulsus, qui philosophiam ne primoribus quidem labiis attigerat, nec quantum discriminis inter liberales et mechanicas artes intercederet, unquam audierat: «Miror — inquit — mehercule a quoquam in dubium vocari, num bonae artes apud nos hae tempestate vigeant, in qua aurigandi studium magnopere vigere nemo est, qui dubitet». O singularem animi stuporem! O amentiam incredibilem! Quos risus tam levem importunamque sententiam consequitos fuisse putatis? Excusari quidem facile poterat homo imperitus, si inter ingenuas ac nobiles disciplinas

maxime posuisset architecturam aut pingendi sculp-
pendique facultates; enimvero inter liberales artes
aurigandi peritiam extollere, cui risum non moveat?
In eo tamen, puto, deceptus fuit homo peracuti ingenii, quod complures in sua civitate vidisset prin-
cipes viros aurigandi studio tantopere delectari; et
quod dolendum magis est, persaepe in liberorum in-
stitutione ad id magis incumbere, ut pueri bene ac
naviter equis inflectendis, aut sonantis flagelli cre-
pitu concitandis assuecant, quam literis honestisque
moribus informentur.

Sed iam nimium multa de iis, quae fortasse per
iocum, tum etiam ex industria ad convivii hilara-
tem dicta fuisse videantur. Fac tamen de trita atque
omnium ore pervulgata historia aliqua sermo gravis
omnino ac serius incident: quam inepta tibi ac mi-
nime consentanea eiusmodi homines respondebunt?
In eos tunc perbelles cadit Galleni illud: «Stulti ad
cribrum». Quandoquidem indistincte nulloque indicio
aetates hominum ac tempora pertractantes, confun-
dident Persas ab Alexandro victos cum iisdem sub
Cyro rege victoribus; Catonem Censorium indiscri-
minatim pro Uticensi usurpabunt, aut unum etiam
ex duobus conflabunt; unoque verbo quot dicta, to-
tidem congruent anacronismos; nisi forte Alexan-
dros, Cyros, Catones aliaque huius generis cele-
bratissima nomina audientes, tamquam ad sibi igno-
tas prorsus ac barbaras voces haereant. Quid vero
si de urbe aut provincia aliqua, non ad Antipodas
quidem posita, sed a nobis paulo remotiori in-
stituatur oratio? In quot enormes impigent scopulos,
quantisque locorum sese implicabunt erroribus?
Nam quum omni geographiae lumine careant, haud
raro fit, ut tam longe ab eo, quod propositum est,

(1) Cfr. huius anni num. III.

aberent, ut si de Asiae rebus agatur, iidem in America versentur, ac de Mexico interrogati de Aethiopia respondeant. O miseram plane atque infelicem illitteratorum hominum conditionem! Si taceant, ut elingues reprehenduntur; si loquantur, citra risum et infamiam loqui minime possunt.

P. LUCENSIS.

COMMENTATIONES PHILOLOGICAE

DE PLATONE.

I.

Platonem ingenii magnitudine prope immensa fuisse non temere quisquam eorum, quorum de litteris et artibus iudicium est, infiniti ausit. Nam et poemata adolescentem fecisse memoriae proditum est poeticaque vena per omnem deinde vitam valuisse singula deinceps scripta eius, quae quidem genuina sint, luculente testantur, et oratoris personam, si vellet, honeste sustinere potuisse cum alii eius libri, tum ei evidenter ostendunt, in quibus oratores vehementissime exagitavit, «Gorgiam» dico et «Phaedrum». Quid dicam de philosophiae studiis, de rerum publicarum scientia, de historiae cognitione, de omnium denique earum rerum, quibus tunc liberalis institutionis orbis continebatur, peritia et usus? Horum omnium generum eum non rudem et hospitem, sed bene gnarus fuisse neminem, qui diligenter in eius libris versatus sit, fugere poterit. Et profecto rari in Graecis reperientur, qui cum eo vel ad ingenii praestantiam vel ad doctrinae copiam vel ad orationis elegantiam et venustatem comparari possint. Quo magis mirum accidere debet in tanta ingenii excellentia animique altitudine inveniri nonnulla, quae aut improbabilia nobis aut adeo absurdia et perversa videantur.

Ac primum quidem consideremus paulisper illud, quod universae eius philosophiae pro fundamento fuit, doctrinam idearum. Cuius nisi originem a superioribus philosophis ductam clare et perspicue cerneremus, sane monstri et prodigii instar eam miraremur. Nunc patet duos fontes fuisse, unde derivata sit illa Platonis doctrina. Etenim quum Heraclitus quidquam esse negasset, omnia fieri tantum dixisset, ita ut rerum vis et natura perpetua mutatione et vicissitudine continetur, nulla videbatur rerum, ut quae semper flumine ferrentur, constare posse certa et stabilis scientia, sed opinionum fluxarum vanamquam simulacra vagari. Eleatae contra, huic malo ut mederentur et scientiam aliquo nodo adstringerent, unam immutabilem et individuam naturam statuentes quam suum decretum sensuum perceptioni-

bus redargui et prorsus labefactari sentirent, violentam nimirum et audaciae plenam rationem amplecti cogebantur, ut omnem, quaecumque perciperetur, mutationem naturae ex sensuum fallaciis oriri et revera nullam esse contendarent. Ita utrique, inter se separati, partem veritatis tenuisse, partem neglexisse videbantur. Quorum vestigijs insistens Plato, quum ab Heraclito flumen rerum, ab Eleatis unum et immutabile ens assumpsisset, duplum exaedificavit mundum, unum sensibus subiectum, in quo veritatis nihil, omnia opinionum plena essent, alterum mente et ratione et cogitatione comprehensibilem, immutabilem, incorruptum, aeternum, nullis erroribus obnoxium, in quo uno inesset regnum veritatis et scientiae. Atque in hoc altero mundo Plato ideas suas collocavit, quarum inventionem et explicationem philosophi officium esse voluit. Haec igitur est illa tanopere celebrata idearum doctrina, quae quantum auctoritatis ad posterioris philosophiae fata et vicissitudines habuerit, utpote in quovis de philosophiae historia libro manuali notatum, nihil attinet dicere.

Iam ortu idearum indagato quales sint ipsae illae ideae, videndum est. Et hic accedimus ad illud, quod supra dicebamus mirum videri in Platone ac prope absurdum. Namque ideae istae nihil sunt aliud nisi Socratice rerum notiones existentia praeditae. Atqui notiones a rebus singulis, quae sub sensu cadant, abductas sive abstractas esse apertum est. Ergo et notiones ipsae per se nihil solidi, nihil concreti habent, sed adumbratae quaedam cogitationis formae et figure sunt eaeque plus minus indefinitae atque evanidae, et omnino notiones existentia praeditae contradictionem continent indissolubilem, in quo quis negabit perversitatem inesse? Sed procedendum est ulterius. Plato quoniam ideas earum rerum, quae sensibus perciperentur, causas et effectrices esse volunt, demonstrare debebat, quam vim et efficientiam ideae istae, quas ille immateriales esse statuit, ad dignandas res materiales haberent. Talis autem demonstratio et rationi et sensui communi ita adversatur, ut nec omnino quisquam homo tale quid mente comprehendere queat et Plato ipse illa demonstratione, qua quum maxime opus fuerat, quasi ad incitas redactus supersederit. Nec enim usquam ne minimum quidem conatum deprehendimus declarandi, quomodo ideae ad res materiales procreandas vim ullam exserere possint. Tota igitur ista Platonis doctrina mera fictio mentis est et valde illa quidem claudicans, verumtamen post illa, quae praecesserant, necessario exorta.

Restat, ut adiungam in hac Platonis doctrina non progressum philosophiae conspicuum esse, sed regressum. Etenim quemadmodum multae aliae artes non recta via, sed per varias ambages et anfractus ad aliquam sui perfectionem pervenerunt, sic etiam

philosophia perplexum iter ac tortuosum confecisse reperitur, ut nunc progrederetur, nunc errabunda relaberetur. Idque in hanc de ideis doctrinam cadere apparet. Nam quum physiologi Ionici unam materiam, alii aliam, pro causa primigenia, unde omnia genera essent, posuissent, Plato introducendis ideis causas rerum in infinitum multiplicavit, quum tamen omnes artes et disciplinae sua quaeque principia, si minus ad unitatem ea revocare contingat, at certe ad quam minimum numerum redigere annitentur.

Goritiae

A. B.

DE RE LITTERARIA APUD SUBALPINOS

Camillus Benso Comes a Cavour.

Venio nunc ad hominem, qui, omnium indicio, primas in eloquentia facile tulit. Est hic Camillus a Cavour, vir ex antiqua patritiorum familia natus, qui amplitudine ingenii et studio summam sibi gloriam acquisivit. Ipse, suorum aequalium longe nobilissimus in rebus agendis, cum electissimo quoque inter veteres de gloria immortalitatis decertare posse videtur. Quamobrem si eum inter primos oratores, qui novissimis diebus Subalpinorum nomen eloquentia rerumque nobilitate vel apud exteris gentes renovaverit, ponere hand dubitabo, nemo sane me adulatio vel falsitatis insimulaverit.

Ortus est Augustae Taurinorum anno decimo saeculi nuper elapsi, atque in sinu genitricis suavissime altus est atque educatus. Puer, inter regales ephebos adscriptus est, sed aulici otii brevi pertaesus, ut fama perhibetur, ex eorum numero nota infamiae expungitur. In regiam militarem scholam mox ingressus, primos militiae gradus promeruit. Relicta quoque militia, actus forte nimiae libertatis desiderio, ad mentem iis artibus formandam, quae ad recentiorum morum humanitatem pertinent, Angliam petiit, ibique diu versatus est. Studiorum causa, apud peritissimos viros se applicavit, qui tunc temporis in illo regno opibus firmissimo, summa rerum obtinerent, ut eorum disciplina, tandem aliquando in suorum commodum quidquid per tempora liceret, cautius referret.

Haud equidem mirabatur multa superiore memoria a patribus nostris acute sapienterque fuisse excogitata, eorumque invictum animum ita domi et militiae difficillimis saepe temporibus eluxisse, ut exteris nationes in italicam gentem tamquam in antiquae virtutis exemplar intuerentur.

Sed eius sententia, in populorum contentione, Itali inferiores esse videbantur. Res novae passim commendabantur, et populorum exemplum summis laudibus ad sidera ferebatur. Quum Carolus Albertus libertatem cum imperio feliciter coniungere tentavit, multi Subalpini, qui apud exteris gentes liberiores imperii desiderio vivent, arrepta occasione ad nos redierunt ad maiora animum sustollentes, et uno ore Carolo Alberto gratulabantur, quod feliciora tempora eius cura et studio adsurgerent, quodque iucundum et memoratu dignum sine strepitu ac tumultu, sed a benigna regis voluntate fluenter.

Et Camillus Benso hanc peropportunam occasionem nactus in patriam se recepit, et prope iam matutus, tum propter adsiduitatem laboris et scribendi industriam, tum propter exquisitius et minime vulgare scripturae genus, quod omnium sententia dignissimum iudicaretur excellentiorum scriptorum personis. Id animos civium ad ipsum facile convertit. Elegantia quoque verborum atque sententiarum nobilitate felicem rerum novarum mentionem et civium utilitatem cumulavit. Ad haec quum lege caustum est, ut quidquid sentires et dicere et scriptis in vulgus haud consulte edere posses, tunc innumera pene apud nos ephemeredum colluvies in urbem, veluti ex compagno inordinate confluxit. Ut venti fluctus vastos aequoris tollunt, sic

*...rerum
fluctibus in mediis et tempestibus urbis
cives.*

Camillus ad scribendum se contulit, eo tamen consilio, ut ipse, et socii acriori ingenio praediti atque rerum experientia, ampliorem libertatem pro viribus moderarentur, ne in periculum cederet quod in bonum civium legislator tulerat.

Brevi nomen eius in immensum crevit, et orator popularis a Taurinensis designatus, maximam subito sibi famam celeritate ingenii conciliavit ad omnia paratus, sicut novis rerum adiunctis subortis, Subalpini nominis dignitatem adseruit. Quum anno millesimo octingentesimo et quinquagesimo, voluntate Victorii Emm. II regis administer est adlectus, ad spem regni italicici nititur, et paeclaris fortitudinis atque eloquentiae documenta in dies edidit.

Primit enim administrationis sua temporibus illuc praesertim incubuit ut damna repararet, quae gens Subalpina superioribus bellis male multata pertulerat. Maiores in diem copias coepit conscribere, armis instruere, neque impensis parcere, dum regno exercitum pararet. Leges ad recentioris aetatis ingenium exactae feruntur, administratio rerum publicarum optimo cuique defertur; agri sollertia coluntur; civium commercia, ictis foederibus, terra marique proferuntur, et res subalpina maximis in dies auctibus crevit.

Omnia ad eius voluntatem fluunt, et brevi se dominum in republica administranda gessit. EIus orationes tantum argutiarum, tantum salis, tantum urbanitatis habere solent, ut omnes vel adversarios gratiose vellicaret, atque ad suam voluntatem attraheret. Prae ceteris erat in eo incredibilis illa dicendi vis, qua nullam unquam in suis orationibus ad oratores populares habitis rem defendebat, quae non probaretur, nullam oppugnabat quam non everteret.

Multi primum opinioni eius erant adversarii, qui stricte, argute, copiosissimis saepe adhibitis argumentis, eum undique premere, eius pertinaciam frangere, ab odiis, ab iniuria, vel a caedibus temperare nisi sunt. At ipse, ut de celeberrimo quoque oratore dici consuevit, illa ipsaque extorquet, impetrare eum credis; et quum transversus vi sua adversarios ferat, tamen ille non rapi videatur, sed sequi. Mirum dictu est quot triumphos dicendo retulit! Iam in omnibus quae dicit tanta auctoritas inest, ut dissentire haud deceat; quum interim haec omnia quae vix singula quisquam intensissima cura consequi posset, flunt illaborata, et illa, qua nihil pulchrius auditu est, oratio praesefert tam felicissimam facilitatem.

Haec mea novissima verba ad illam potissimum aetatem enucleandam spectant, qua ipse in initio rerum novarum, incredibili audacia atque constantia animo agitans iniuriam ulcisci Novariae Subalpinis illatam, feliciter foedus cum Gallorum imperatore ferior, atque ad Chersonesum Tauricam Subalpinos milites sub ductu consilioque proprio immittere, omnibus tamen percunctantibus, ausus est. Et ipsum Napoleonem ita in suum consilium allexit, ut quidquid novi moliretur, atque audacia operari niteretur, nemine iam oppugnante, actu perficere possit. Tunc omnis Italia in unam gentem adsurgere tentavit, et quod, ineunte saeculo superiore, maximis laboribus et periculis, ne quidquam patres nostri fuerant conati, nunc praeter omnium opinionem, quum ei omnes in diem magis concederent, postquam rerum non iam Subalpinarum sed fere Italiae arbitrium obtinuerint, cunctis suffragiis a popularibus oratoribus ei fuit permisum.

Nimirum hoc tempore non immerito ab hominibus aetatis suae regnare in comitiis dictus est. Quoad sedit ad gubernacula rerum, in omnibus argumentis, et saepe inter se maxime oppugnantibus versatus est, et oratoria semper facultate est locutus, diserta et immensa illa recentiorum doctrina segete, quam ipse ab Anglis, ut dicebatur, adolescens petiverat, atque nunc aetate maturior cum civibus suis ita communicabat, ut dictus sit eloquentiam potissimum popularem ab illa gente ad Subalpinos primus transtulisse. Utinam vero in feliciora tempora incidisset, quibus Christi sapientia cum rebus publicis, haud hostilibus animis adversaretur, sed comes addicta,

in omnium commodum, viribus adiunctis, pergeret, atque a rerum mortalium humilitate ad immortalia subditos transferret, atque luctus, labores, angustias tot meritis pro patria conquistatos, religione puriores sanctioresque cumulasset!

Omnis aequales facile superavit, cum paucissimis ex antiquis componendus est. Quid autem gessit, quid diutinis operibus est adgressus atque perfecit, estne ei laudi semper gloriaeque? Nimirum quid tam verendum fuit, a quo temperaverit? Quid tam foedum, quod necessitate quadam compulsus non admiserit?

Ipse Victorius Emmanuel II, uti fama perhibet, quicum noster se dominum ferre videbatur, quum sese a crimine expediret, refutavit quamdam propositam sibi rem, quam iniquam reputaret, vernacula dicens: *Ancor 'na balossada?* Quod nos latine optime dicemus: *Et aliud crimen?*

Ita ferentibus fatis, sic mihi dicere liceat, ut Itali deturbatis omnibus Italiae regibus, atque in primis Pontifice Maximo, in alterna vulnera tamquam ad tristes inferias se mutuo converterent. Quo impunius tamen liceret, cum liberis mandatis, ingenio et in verbis facile princeps, nimis alta quaesivit, atque cum utilitatis obtenuit, quidquid faciendum ferebat, consequi videret, audientius animum applicuit ad res citra fidem adgredi atque manu perficere. Sed tanta tamque subita virium accessione ipse ad summam amplitudinem brevi pervenerat, ut omnes superaret, tunc repente, fortuna saevire, eiusque consiliis coepit obluctari, praeproperam mortem propinare. Magnis tamen in laudibus, quum primum Itali novum regnum perpetuis adclamationibus celebrarent, integer adhuc aetatis, improviso morbo implicitus, decessit an. vitaq quinquagesimo. Quem « linquentem terras, et sidera voce sequentem » omnes Itali, moerore confecti, ad ultima veluti compulsi diu multumque luxerunt.

Complures admodum sunt eius orationes, habitae vel ad oratores populares, vel in senatu, quas per singulos quoque annos digestas multisque voluminibus collectas et suis apte animadversionibus illustravit Carolus Artom, patricius allobrox, qui vel ab adolescentia fuit unus e familiaribus eius, quicum coniunctissime vixit. In his plura admodum eluent, eo quod in hoc oratore totae virtutes suas, ut ait Quintillianus de Cicerone, eloquentia experta sit. Quae sane orationes, etiam si maxima plenumque vis eloquentiae in actione sita est, vel lectae placent, ut olim pronunciatae placebant. Omnes enim tum ad mores et ingenium hominis cognoscendum, tum ad turbida reipublicae tempora explicanda, tum denique ad civilem prudentiam atque elegantiam stili mirum in modum conferunt.

SUBALPINUS.

AÉRONAVIS

Carmen IANUARII ASPRENATIS ROCCO Afragiensis
in certamine poëtico Hoeufftiano anno MCMVIII magna laude ornatum⁽¹⁾

*Quae mira moles, machina quae tumens
Non usitatae per liquidum aëra
Feretur figurae? Quod per amplas
Ire plagas video polorum
Immane monstrum? Quid secat aethera,
Qualis volucris? Quod fluitat leve
Pondus per auras, piscis instar
In mediis fluitantis undis?
O conticescant denique fabulae,
Nec trita fando nomina Daedali
Iactent poetae, nec volatus
Icarios celebrare certent.
Quis diceret se non homini datus
Volasse pennis? Quisve hominem antehac
Referret e Creta per aethram
Chalcidicas remeasse ad arces?
Severiorem per sapientiam
Portenta rerum nos nova vidimus:
Natura cultoris labore
Ipsa sui superafa cessit.
Haec nempe vires insuperabiles,
Quotquot latebris servat in intimis,
Depromit humanos in usus,
Dum variae generantur artes.
Iam vasta primis aequora pupibus
Exhoruerunt; iamque natantium
Tot piscium turba, atque cete
Velivolas stupuere naves.
Quin et volucres iam trepidantibus
Fugere pennis, corpora non prius
Conspecta cernentes per auras
Aetherias sine lege ferri.
Haec namque clavi nescia concito
Aguntur aurae flamme; quo Notus
Te pellat ignoras sonorus,
Quasque petas per aperta caeli
Terras et urbes, quaeve cacumina
Tangas volando montis inhospiti,
Saevasve rupes, quaeve lata
Aequora te maneant ruentem.*

*Nihil sed est mortalibus arduum;
Ventos in ipsos imperium suum
Humana gens exercet, atque
Ipsa suo arbitrio per oras
Caeli nitentes curruculi rotas
Certis habenis conscientia dirigit,
Et quas ad urbes nare querit,
Ipsa potest rapido volatu.
His Gallus audax fulget honoribus,
His Anglus. O quot munera iam suo
Germanus offert Zeppelinio,
Quo lacerae renoverunt artes!
Et Sabatinus iam lacus, Italum
Cernens volantem ad sidera machinam,
Laetatur; hac visa, Quirites
Ingeminant sine fine plausus;
Laetisque Tiberis vocibus excitus
Profert ab alto gurgite verticem,
Et grande mirans involucrum
Mellifluo movet ore carmen.
Auctoris omnes ingenium canunt,
Dum mente volvunt robora machinae,
Clavosque cursum dirigentes
Atque helicum celeres rotatus.
Hac mole nil est utilius. Poli
Non ante factas visere per plagas,
Nec ante anhelatas per auras,
Ecce datur tot amoena rura,
Colles apricos, murmure rivulos
Leni cadentes montibus, insulas,
Lacusque et aetnaeos furores
Oppidula, egregias et urbes,
Frustra petitas fontium origines,
Et montium tentata diu iuga;
Hac mole inaccessas licebit
In latebras penetrare mundi.
Hac fiet orbis notior; Africi
Ignota prorsus iugera tot soli
Lustrare mox istas per artes
Gestiet aërius viator.*

(1) Clarissimo et huic socio suo tanto honore aucto Vox Urbis ex animo gratulatur.

*At inde manant tot quoque flebiles
 Ruinae in urbes obsidionibus
 Ubique cinctas! Inde clades
 In populos etiam redundant!*
*Fatale monstrum, desine currere
 Caeli per oras! Non ita Iupiter
 Iratus urbes atque gentes
 Fulmineo iaculatur igni!....*
*Tu scindis arces missilibus tuis,
 Incendis aedes, omnia destruis;
 Ictu vel uno tu frementes
 Sternis equos equitumque turmas.*
*Tu sceptra frangis, tu diademata
 Superba regum sordibus inquinas;
 Tu praemia auter et triumphos
 Militibus celebresque palmas.*
*Tu iura, tu leges pede conteris,
 Auso nefando tu omnia despicias;*
*Tu spernis armatos, et arma
 Ipsa suo spoliis decore.*
*Sed quos iniquos audeo pervicax
 Referre casus? Curre vel ocyor,
 O pulcra moles, perque celos
 Auspicio meliore fractus*
*Iam perge, nostrae militiae decus,
 Atque Italorum gloria nobilis;
 Incende terrarum per orbem
 Dona ferens veneranda pacis.*

VOX URBIS PALAESTRA

Sacra Expeditio ad Indos Navaiones⁽¹⁾

Navaiones, Indorum populus, eam Neo-Mexici incolunt regionem, quae inter occasum solis et septem triones spectat, itemque partes Arizonae eas, quae inter septem triones et orientem solem sitae sunt. Huius populi ager 1,600 circiter millaria in quadruplo porrigitur; ubi eos Coronadus, Hispanorum dux, an. 1540 adveniens deprehendit; ubi etiam ante hominum memoriam sedes posuerunt. Nam fabulae eorum omnes, quae de diis deabusque sunt, quaeque antiquissimae esse perhibentur, tamquam in his ipsis regionibus positae ac peractae funguntur; id est inter montes eorum « Sacros »: *Debentsa* (San Juan) ad septem triones, Si-

(1) In Commentario Americano *The Indian Sentinel* scriptis Anselmus Weber, Sodalis Franciscanus, Latine reddidit GREGORIUS CLARKE, Vox Urbis socius.

gnajini (Pelado Peak) ad orientem, *Tsodzil* (Mount Taylor) ad meridiem, *Dook'oostid* (San Francisco Mountains) ad occidentem. Quae res Navaionum in hisce finibus longissimam commemorationem demonstrat. Sed tamen alia quae prostant passim monumenta vetera atque prisca, aliam in iisdem sedibus praecessisse gentem satis docent. Ipsi vero Navaiones prodidisse sese in hunc mundum putant ex aliis quatuor mundis, de quibus in ipsorum fabulis est sermo; frequentesque vel hodie invisunt lacum quemdam, in montibus San Juan situm, — a longe tamen ob metum ac loci religionem — cuius ex undis maiores eorum in quintum hunc mundum fauste feliciter emerserunt olim!

At nihil fere dubitandum, mea quidem sententia, quin Navaiones primitus ex Tartarorum in Asia finibus, transvecto freto quod Bering dicitur, in has oras escenderint. Etenim id in primis ex argumento, ut ita dicam, philologico constat, quum sermonem, quem usurpat, eiusque differentias, a freti litore ad Arizonam presso veluti vestigio sequi possimus. Navaiones enim ad Athapascum pertinet hominum genus, quod vix minus patet late, quam vel genus Arynum vel Semiticum. Ab Alaska namque superiore ad Arizonam et Neo-Mexici regionem, Athapascorum stirps atque lingua obtinet; et praegrandis eiusdem arboris instar se diffundit, cuius truncus essent Montes qui a *Saxis* dicuntur (Rocky Mountain Range), cuius radices inclusae essent in Arizonae ac Neo-Mexici desertis, cuius denique rami ad oras Hudsonii sinus, ad oceanum Articum atque Pacificum pertingerent.

Ante an. 1863 Navaiones praedonum more vitam actitabant — manus eorum contra omnes, manus omnium contra eos. Siquidem cum Uteis, cum Apachis, cum Comanchis finitimus suis, imprimisque cum Pueblonibus Indis atque Mexicanis assidue dimicabant. Vigiles, acri, dexteri quum essent, frequentes in aciem dimicationemque veniebant. Tum hominum pecorumque praeda facta, fulgure celerius e conspectu evolare. At Carsonius dux, e Neo-Mexico cum manu veniens, armentis gregibusque necatis, deletisque frugibus, fame ad deditiōnem compulit. Ex quo Navaiones pacatam tranquillamque pecoribus alendis vitam dueunt.



Navaionicam gentem Christo subigendam cogitaverat iam pridem vir illustriss. et reverendiss. Stephan, Praefectus Instituti Catholicis Expeditionibus ad Indos provehendis in Washington urbe; itemque Katherina Drexel Sororum a SS. Sacramento Mater legifera. Hic an. 1896 agrum 200 ingerorum emit in valle frugifera, quae ab prisca Hispanis Cienega Amarilla appellata est, ad vicesimum septimum la-

pidem a Gallupo urbe, et prope viam ferreis axibus stratum, quae per Arizonam et Neo-Mexicum ducit. Impensas autem in rem factas generosa praebuit dicta Katherina, quae 3,000 doll. fuerunt numi americani. Meritissimus Praelatus, ut his porro incoepit prospiceret, die tertia m. Septembris 1897 apud P. Raphael Hesse O. F. M. Provincialem Ministrum Cincinnati egit, qui die tertia decima Octobris eiusdem anni Missionariorum manipulum ipsi sponsavit. Res denique sequenti anno, die sexta decima m. Iulii, perfecta est: novae Missionis, quam a S. Michaële Arcangelo dicere placuit, Praefecto constituto P. Iuvenali Schnorbus, cui P. Anselmus Weber in adjutorem est datus. Qui continuo illuc proficiscentes die septima mens. Octobris pervenerunt, atque die undecima ibidem primum litarunt. Neque inde ab initio vacuum laboris susceptum opus fuit. Primum, domus Franciscalibus nobis vetus apotheca erat, quae ante Indis inserviebat rebus emendis, vendendis. Tum lingua erat addiscenda ac litteris exprimenda: cui improbus inerat negotio labor. Sed constantiae operis et obfirmatae cedunt omnia voluntati. Itaque perdifficili lingua brevi velut edomita, iam praecipua christiana capita, historiae sacrae insigniores locos, et quasdam supplicandi formulas ipsa confidere potuimus. Tum in ipsum sermonem intimus inquirere, vocabulorum copiosum thesaurum condere, verborum flexuras, ceterasque rationes loquendi colligere. Mox parvam puerorum manum in disciplinam suscipimus, quorum delectos quinque ad Scholam S. Katherinae apud Santa Fe, ut artes addiscerent, misimus, rem interim provehentes catholicam hortando, pueros aegrotos baptizando, incolis invendis.

Anno 1900 die ultima mens. Octobris Katherina Drexel, quam supra laudavi, una cum Maria Evangelista, Scholarum apud Santa Fe Praefecta, Missionis iuxta visendae ac nobiscum consultandi causa venerunt. Quare nobis auctoribus, suasoribus, viginti circiter Navaionum principes seu duces ad S. Michaëlis convenerunt, qui de ludo litterarum liberis ipsorum educandis et a Katherina aedificando instruendoque coram disputarent. Pluribus, nec spernendis iis quidem, orationibus ab hisce habitis, ac variis interrogationibus propositis de discendi artibus atque utilitate, fidem dederunt omnes, liberos et se suos ad ludum nostrum missuros et alios, ut idem facerent, quantum in ipsis esset curaturos. Tum Katherina ludum in annum 1902 aperiendum sponsavit. Et itaque anno mense Decembri ludus tandem patuit, amplius is quidem atque commodus, qui centum triginta pueris puellisque suscipiendis aptus esset. Emerat vero in antecessum meritissima foemina circum iacentes campos, ita ut ager noster iam in iugera quadringenta quadraginta extendatur; quae

tamen iugera haud singula frugifera sunt. Pecuniae impensas in eam rem atque in ludum aedificandum fecit Katherina 70,000 doll. numi americani.



At tamen, ut, aedificato iam apertoque ludo nostro, disciplinae alumni invenirentur, hoc opus, hic erat labor: quandoquidem Navaiones, quidquid ad animorum aequem ac corporum libertatem restringendam pertinet, oderunt vehementer. Itaque etiam moderatores ipsi Civitatis, quum non ita multo ante et vim adhibuerint et praemia proposuissent, ut Navaiones ad scholas a se constitutas frequentandas inducerent, haud multum profecerunt. Nil igitur mirum quantopere nobis in idem esset laborandum. Equidem totam fere regionem ad centum millia passuum in orbem equo lustravi, ut Navaionum patres familiias in dominibus principum ad conventum actos inducerem ad liberos suos ad scholas nostras mittendos. Qua in re difficultates superandae erant plurimae, quas hec mitto, et praeiudicatae presertim opiniones frangendae, quae Navaionibus in hisce rebus in suum et sanguinem transierant. Sed tamen, Deo bene iuvante, discipulos nacti sumus quinquaginta septem. Et die tertia mens. Decembri, S. Francisco Xaverio sacro, postquam Summo Numini sollemni ritu latussum, novum litterarum ludum ad S. Michaëlis auctoratum est.

Anno insequentis numerus alumnorum ad octoginta septem excrevit; quorum tertia pars sacra christiana mense Iunio suscepit. Anno scholari 1905-1906, nonaginta sex discipuli in scholae album referuntur: e quibus triginta duo ad divitium epulum mense Iunio an. 1906 prima vice accedunt. Quae res omnibus insigni laetitiae erat. Anno vero scholari 1906-07 disciplina nostra centum duodeviginti discipulos numeravit, et tandem anno 1907-08 centum triginta, hoc est tot quot aula omnino tenere valeat.

Omnis autem, qui hucusque in disciplinam nostram venerunt, cultum Christianum, si quidem per aetatem id licet, suscepunt, et sunt numero centum et quinque; pariterque sacram Eucharistiam sumpserunt numero quinquaginta octo; reliqui, quibus adhuc per aetatem non licet, ad id sese parant.

Tredeci Sorores a SS. Sacramento, quibus ludus est commissus, assiduis eae quidem mentibus atque manibus ad id operis incumbunt.



Scholae curriculum in sex ordines seu classes describitur, et sex annis absolvitur. Ita autem aequaliter dispergitur tempus, ut pars detur studiis vacanidis, quae ad mentem colendam pertinent, uti sunt doctrinae christianaee institutiones, grammatica, hi-



Dublinensis via « Sackville Street ».

istoriae, descriptiones regionum, numeri, musica; pars vero altera tribunatur iis addiscendis rebus quae manu et arte exercentur, quaeque agricultura sunt et hortorum cultus et structura murorum et tignarium opus aliaque similia pro pueris; pro puellis vero suendi ars et quae ad conficiendas vestes pertinent, itemque ars ludicrum lucearum texendarum, res coquinaria et cetera. In quibus omnibus addiscendis pueri Naviones, ut felici satis ingenio praediti, parum cedunt nostris. Numerorum imprimis scientia pollut. In anglia tamen lingua addiscenda haud parum difficultatis sentiunt.

Interim nos, qui primis quinque annis veteri Indorum apotheca seu horreo pro domo usi fuimus, anno 1903 mense Aprili novas aedes excitare potuimus, amplas eas quidem commodasque, munificencia imprimis P. Ludovici Haverbeck, Ministri Provinciae Cincinnatensis, conspirante in idem operis sumptibus suis saepius laudata Katherina. Quin etiam eadem aliisque munifice invantibus, anno 1905 alteras Missionis aedes in valle, quae Chin Lee dicitur, aedificavimus ad sexagesimum lapidem ab aedibus a S. Michaeli: quo fit, ut usui longe uberiori atque ampliori Navaionibus in posterum esse possimus. Gens enim Navaionum, ut initio dictum, alendis gregibus vitam actitant; ideoque in locis inter se maxime dissitis necessario habitant. Quanobrem nunquam ipsis satis superque erit consultum donec alias adhuc aedes horum similes, cum sacrariis atque scholis, in locis huius regionis centralibus et frequentioribus nacti simus. Quod, ut quam citissime fiat ab omnium donorum datore Deo summis precibus fla-

gitamus, Cuius caelesti Numini et omne quod hucusque efficere potuerimus referimus acceptum, et ingentes gratias agimus et habemus. Nos tantum semen seminavimus, fundamentum uti licuit firmum posuimus, initium ut credimus sanctum coepimus; concedat Ipse, ut omne in Eius gloriam cedat, et nobis et Navaionibus nostris faustum et salutare sit.

Ex Hibernia

In ultima hac Europae regione, quae Latinam humanitatem eamque cum religione coniunctam admiratur et sequitur, Vox Urbis ista vestra singulis mensibus magna quidem cum nostrum omnium delectatione insonat, qui

vobiscum societatem libenter inivimus. Num vobis displicebit, itemque commentarii vestri lectoribus toto orbe diffusis, nostram vicissim vocem audire, locaque nonnulla quae incolimus scriptis et figuris cognoscere?

Urbem igitur nostram caput, Dublinum, hodie inivisamus, cuius pulchritudine Hiberni nos efferrimus. Nec iniuria; eius enim situs ad Liffey flumen, quod pluribus interiectis pontibus transitur atque prope urbem in mare influit, eius cultus publicaque monumenta viatori admirationem imponunt.

Flumen in duas partes Dublinum prope dividit, quarum in altera urbs antiqua, recentior in altera surgit. Huius centrum via est illa, quae nostra lingua Sackville Street appellatur, atque paucissimis tantum Europaearum urbium magnitudine cedit. Et ipsam duobus partibus constare dicas, a columna illa ex dorico stylo sciunctis, publicis impensis ad centum triginta quatuor pedes elata et Nelson duci, Trafalgarrii heroi, dicata, cuius effigies moli superimposita est; festis patriae diebus nationis quoque vexillum inde aura agitat.

Huiusmodi vero monumentum non unicum viae habemus; ibi enim, civium ambulatio ceteris anteposita, longo ordine maximae urbis aedes evolvuntur; in hisce publici epistolarum diribitorii aedificium, cuius frons longe producta simulacris clarorum viorum ex Hibernia insignis evadit.

¶

Sed quoniam Dublinenses fabricas conspicuas attimus, facere non possumus quin portorii mentionem



Dublinense portorium.

faciamus, an. M DCC XC excitati. Iuxta Liffey ripam septentrionalem extollitur, exque flumine tria eius latera conspicere ita datum est, ut stupore animi primo ipso adspectu compleantur. Tholus imminet quadraginta et quinque pedum in altitudinem, in eiusque vertice figuratum Hiberniae simulacrum, Spes, conspicitur. Architectura denique ea est, ut cum publici antiqui coetus legibus ferendis palatio, - nunc nummularia Hiberniae mensa, - et cathedrali templo et ipso Trinitatis collegio, quod non Hiberniae tantum, sed totius Anglorum regionis inter maxima monumenta habetur, iure certare possit.

¶

Iamvero civitatis rumores linquamus, quietis pacem alio quaerentes. Constat inter omnes ad centum et quinquaginta millia passuum ab urbe Dublino, Killarney lacus exstare; quibus gratam magis sedem haud facile inveneris. Sunt enim non solum nitore caeli, aeris temperie splendidissimi, puraque humo virentes, sed etiam, ut fere locis omnibus contigit, quibus pulchritudinem natura plenis manibus largita est, antiquis historiae memoriis locupletissimi. In magicis illis silvestribus insulis, nemoribus quasi cupide seclusis, antiquorum castellorum, coenobiorum, abbatiarum ruinae abundunt, quae a colle in collem, a terris ubique aquis cinctis ad ipsas lymphas caeruleas dare ac reddere salutem invicem, hederae aut rosarum ramos agitantes, videntur. En Ross Castle



« Muckrose » Franciscalum monasterium Hibernicum.

illud O' Donoghuesii castellum, en Sweet Innisfallen, Thomam Moore eiusque casus in memoriam revocans, en denique, nec equidem longe, Muckrose monasterium an. MCCCC XL a Franciscalibus in loco conditum, quo nullus amoenior, nullus clamoribus ita semotus ut ad contemplationem et animi requiem omnino alliciat.

Ibi sistamus igitur; optimus enim est terminus, quo cogitationes omnes referantur. Valete.

**

MUNDANUM SCIENTIAE SODALITIUM

Cl. socius noster Iacobus Tassetius, qui foedus latine loquentium in ipso sodalito favit et moderatur, ad nos nomina eorum misit, qui latinis iusti argumenti et decentis scripturae litteris sibi allatis, latine se esse responsuros pollicebantur. Sunt scilicet qui sequuntur:

Fred. N. Arnold, dr. chemicus, litteris latinis et Romanis antiquis amicus, Dayton, Ohio.

Henricus Bigot, Tunete in lyceo Carnot professor, latini globi in Instituto Carthaginensi praeses.

Aristides Brenon, philosophiae et litterarum amator, quaestorum praesertim recentiorum scrutator, Croissy (Seine-et-Oise).

Buisson, publicae infimi ordinis institutioni, Tunicensi universa civitate, praefectus.

Theo. T. Chave, sch. pub. praef. - studia lat. et bibl., South Boise, Idaho.

Carolus Confortola, medicus, litterarum rerumque antiquarum amator, Hadrumet.

Victor Hautefeuille, virtutis cultura latinitatis amator, Lutetiae Parisiorum.

Victor Herthel, hymnis et lingua hebraica peritus, Grossneudorf, in Germania.

Paulus Joire, medicus, societatis de quaestionebus psychicis et super normam praeses, Insulis.

Iohannes Eduardus Kenny, professor, St.-Paul, Minnesota.

Donaldus Macrae, in linguis, in historia et rebus antiquis maxime Celtarum studiosus, Edderton in Scotia.

Nic. Dion. Malyniak, parochus graecocatholicus in Slivnica ad Krasiczyn, Galic. Austr., disciplinae cultor universae, sed vetustatis praecipue memor et gentis suae.

Iohannes Maria Meunier, presbyter nevernensis, seminario praefectus, philologiae romanae existimator, nominum enodatione et enuntiatione peritus, Cribiniac in finibus Nevernensium.

A. Michel, professor, bibliothecarius in Nova Universitate, Bruxellis Belgarum.

Maria Ludovica Teshières, philosophiae et litterarum amatrix, Cenomanis.

Insuper quaestiones indicavit ad coetum ipsum latinum propositas:

I. Tales linguae, quales sunt samscrita, hebraica, latina, solis ab eruditis cultae, utrum recte an falso « mortuae » dicantur?

II. Quae constituenda sit disciplinarum ratio ac forma, ut discipulorum quam minime ingenia graventur, quam maxime in suum et in commune bonum instituantur?

Si quis e sociis nostris huiusmodi enodandarum quaestionum in certamen descendere cupiat, disceptationes suas ad VOCEM URBIS nostram mittere etiam poterit, quae aut in suis paginis libenter evulgabit, aut aliter edendas curabit.

ACTA PONTIFICIA

Sanctissimi Domini Nostri Pii divina providentia Papae X litterae encyclica octavo exeunte saeculo ab obitu S. Anselmi doctoris.

(Cfr. num. sup.)

In huius impetu belli, ab externis hostibus illati, a quibus alibi quidem acie aperta dimicazione, astu alibi astrusisque insidiis, attamen ubique Ecclesiam oppugnari conspicimus, ut vigiles essent curae vestrae conversae, Venerabiles Fratres, quoniam saepe alias tum vos praecipue monimus allocutione in sacro Consistorio habita xvii kal. Ianuarias anno M DCCCCVII.

(1) Coloss., II, 8. — (2) Rom., I, 21. — (3) I. Tim., I, 19. — (4) Concil. Vat., Const. Dei filius, c. 4.

Verum haud severe minus quam dolenter denuntiandum cohendumque Nobis est aliud belli genus, intestini quidem ac domestici, sed eo funestioris quo latet occultius. Hanc machinati sunt pestem perditi quidam filii, in ipso Ecclesiae sinu delitescentes ut eum dilacerent. Horum tela in Ecclesiae animam, tamquam in trunci radicem, coniunctur ut certo iictu ac destinato feriant. Est enim ipsis propositum christiana vitae doctrinaeque turbare fontes, sacram fidei depositum diripere; per pontificiae auctoritatis et episcoporum contemptum divinæ institutionis fundamenta convellere; novam Ecclesiae formam imponere, novas leges, nova iura describere, prout pessimarum quas prōficitur opinionum portenta desiderant; totam denique divinae Sponsae deformare faciem vano fulgore perculti recentioris cuiusdam humanitatis, hoc est, falsi nominis scientiae, a qua cavere iterato nos inbet Apostolus his verbis: *Videte ne quis vos decipiatur per philosophiam et inanem fallaciam secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi et non secundum Christum* (1).

Hac philosophiae specie atque inani eruditionis fallacia, ad ostentationem parata et cum summa indicandi audacia coniuncta, capti nonnulli evanuerunt in cogitationibus suis (2), et, *bonam conscientiam... repellentes, circa fidem naufragaverunt* (3); alii anticipi cogitatione distracti, opinionum quasi fluctibus obruantur, nec ipsi sciunt ad quod litus appellant; alii otio et litteris abutentes, difficiles nugas inani labore consequantur; quo fit ut à studio rerum divinarum et a sinceris doctrinae fontibus abducantur. Neque vero exitiosa ista labes, quae ab incensa morbosae novitatis libidine *mordacismi* nomen accepit, etsi denuntiata saepius, et ipsa fautorum intemperantia suis integumentis nudata, cessat gravi detimento esse christiana reipublicae. Latet virus inclusum in venis atque in visceribus huius nostrae societatis, quae a Christo et ab Ecclesia descivit; maxime vero *ut cancer serpit inter succrescentem sobolem*, cui et rerum experientia minima est et insita ingenio temeritas. Nam, curita se gerant, non ea sane causa est quod solida polleant exquisitatem doctrina; siquidem rationem inter et fidem nulla potest esse vera dissensio (4); sed quod ipsi de se mirabiliter sentiunt; quod pestifero quodam huius aetatis afflati spiritu, sub impuro quasi caelo crassoque vivunt; quod rerum sacrarum cognitionem, quam aut nullam habent aut confusam atque permixtam, stulta cum arrogantia coniungunt. Cui contagionis foventae sublata in Deum fides ab eoque defectio alimenta suppeditant. Nam quos caeca ista novarum rerum libido transversos agit, ii facile putant satis esse sibi virum, ut, vel aperte vel similate, ingum omne divinae auctoritatis excutiant et religionem sibi fingant iuris naturae finibus fere circumscriptam ac suo cuiusque ingenio accommodatam, quae christiana speciem nonnique mutuetur, re autem ab ipsis vita et veritate quam longissime abest.

Atque ita ex aeterno bello adversus divina omnia suscepto nova bella seruntur, mutata dimicandi ratione; idque eo periculosius, quo callidiora sunt arma factae pietatis, ingenui candoris, incensae voluntatis, qua factiosi homines nituntur amice componere res disiunctissimas, hoc est labilis humanæ scientiae deliramenta cum fide divina, et cum saeculi nutantis ingenio Ecclesiae dignitatem atque constantiam.

Haec Nobiscum conquesti, Venerabiles Fratres, non idcirco animum despondetis nec spem omnem abiicitis. Compertum vobis est, quam gravia christiana reipublicae certamina remotores aetates, quamquam huic nostrae dissimili-

les, attulerint. Quia in re iuverit in Anselmi tempore mentem animumque referre, quantum ex annalibus constat sane difficillima. Fuit enim vere dimicandum pro aris et focis, hoc est, pro publici sanctitate iuris, pro libertate, humanitate, doctrina, quarum rerum tutela uni erat Ecclesiae commissa; cohibenda principum vis, quibus commune erat ius et fas omne miscere; extirpanda vitia, excolendae mentes, ad civilem cultum revocandi homines, veteris immanitatis nondum oblit; excitanda cleri pars aut remissius agentis aut intemperantius; cuius ordinis hand pauci, principum arbitrio et pravis artibus electi, horum dominatui tamquam servi subesse atque in omnibus morigerari solerent.

Hic erat rerum status in iis maxime regionibus, quibus in iuvandis maiorem Anselmus operam curarumque collocavit, sive doctoris magisterio, sive exemplo religiosae vitae, sive Archiepiscopi ac Primatis assidua vigilancia et industria multiplici. Eius namque singularia beneficia in primis expertae sunt Galliae provinciae ac Britannicae insulae, paucis ante saeculis illae in potestatem redactae Normannorum, haec in sinum Ecclesiae receptae. Utraque gens, crebris agitata seditionibus externisque bellis divexata, causam relaxandæ disciplinae, quum principibus eorumque imperio subiectis, tum clero populoque attulerunt.

His de rebus graviter queri numquam destiderunt eius aevi summi viri, quo in numero vetus Anselmi magister idemque in Cantuariensi sede decessor, Lanfrancus; at potissimum Romani Pontifices, quorum unum commemorasse sit satis, invicto animi robore virum, iustitiae propugnatorem impavidum, Ecclesiae iurum ac libertatis constantem adsertorem, per vigilem disciplinae cleri custodem ac vindictam, Gregorium septimum. Horum studia et exempla aemulatus Anselmus, doloris vocem altius attollens, ad suae principem gentis, qui ipso propinquo et amico gloriari solebat, haec scribit: *Videtis, mi charissime domine, qualiter mater nostra Ecclesia Dei, quam Deus pulchram amicam et dilectam sponsam suam vocat, a malis principibus conculeatur; quomodo ab his, quibus ut advocatis ad tuitionem a Deo commendata est, ad eorum aeternam damnationem tribulatur; qua presumptione in proprios usus ipsi usurpaverunt res eius; qua crudelitate in servitatem redigunt libertatem eius; qua impeltate contemnunt et dissipant legem et religionem eius. Qui cum degignantur Apostolici decretis (quae ad robur christiana religionis facit) esse obedientes, Petro utique apostolo, cuius vice fungitur, imo Christo, qui Petro commendavit suam Ecclesiam, se probant esse inobedientes... Omnes namque qui nolunt subiecti esse legi Dei, absque dubio deputantur inimici Dei* (1). Haec Anselmus; cuius ultimam voces pronis auribus exceperint, non modo qui fortissimo illi principi successerunt, eiusque nepotes, verum etiam alii reges ac populi, quos tanto amore complexus est, tot praeisdii communivit ac beneficiis exornavit.

Tantum interim abfuit ut in eum excitatae molestiarum procellae, direptiones, exsilia, conficitiones, praesertim in episcopi munere, virtutis eius nervos eliderent, ut ipsum Ecclesiae atque Apostolicae Sedi arcuus devinxerint. Quare ad memoriam Pontificem Paschalem scribens, angustis pressus curisque distentus: *non timeo, inquit, exilium, non paupertatem, non tormenta, non mortem, quia ad haec omnia, Deo confortante, paratum est cor meum pro Apostolicae Sedis obedientia et Matris meae Ecclesiae Christi libertate* (2). — Ad patrocinium et opem Cathedrae Petri confudit, eo consilio, ne umquam religionis ecclesiasticae et apostolicae auctoritatis constantia aliquatenus per me aut propter me debilitetur, prout litteris datis ad illustres Ecclesiae Romaniae antistites

duos ipse significat. Rationem autem causamque subiicit, in qua pastoralis fortitudinis ac dignitatis conspicua Nobis eminet nota: *Malo enim mori et, quamdiu vivam, omni pernuria in exilio gravari, quam ut videam honestatem Ecclesiae Dei, causa mei aut meo exemplo, ullo modo violari* (1).

Ecclesiae igitur honestas illa, libertas, integritas, tria haec dies noctes sancti Viri obversantur animo; pro haec incolumente Deum effusis lacrimis, precibus, sacrificiis fatigat; his provelendi vires omnes intendit et resistendo acriter et patiendo viriliter; haec actione, scriptis, voce tuerit. Ad eam defensionem sodales religiosos, antistes, clericum populumque fidelem suavibus excitat verbis, usus etiam severioribus in eos principes, qui Ecclesiae iura et libertatem ingenti cum sua suorumque iactura procularent.

Nobiles illae sacrae libertatis voces, quum valde hoc tempore opportuna, tum dignae plane sunt iis, quos *Spiritus Sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei* (2), ne tum quidem fructu vacuae quum, vel ob intermortuam fidem vel

collapsos mores vel praeiudicatas opiniones, obseratis auribus excipiuntur. Ad nos potissimum, Venerabiles Fratres, uti probe nostis, divina illa monito refertur: *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam* (3); idque maxime ubi etiam *Altissimus dedit vocem suam* (4), per naturam fremitum terribilisque calamitates expressum; vocem *Domini concutientis terram*; ingratis nostris auribus vocem alte insonantem, quod aeternum non sit, nihil esse; *Non enim habemus hic manentem civitatem, sed futurum inquirimus* (5); iustitiae vocem pariterque misericordiae, devias nationes ad recti botique tramitem revocantis. In huiusmodi publicis infortuniis altius nobis extollenda vox est; grandia fidei documenta non infimis modo inculcanda, sed summis et beate viventibus et gentium arbitris et adscitis in consilia regendarum civitatum; proponendae omnibus firmissimae illae sententiae, quarum veritatem cruentis historia notis confirmavit, cuius generis haec: *Miseros autem facit populos peccatum* (6). — *Potentes autem potenter tormenta patientur* (7); atque item quod est in Ps. II: *Et nunc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram... Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, et pereatis de via iusta*. Harum autem comminationum exitus expectandi sunt acerbissimi, quum publica grassatur iniurias, quum ab iis qui praesunt et a reliquis civibus in eo delinquitur maxime, quod e medio pellitur Deus et a Christi Ecclesia desciscitur; qua ex duplice aversione rerum omnium perturbatio sequitur et infinita prope miseriarum seges quum singulis tum universae reipublicae.

(Ad proximum numerum).

(1) Ibid., lib. IV, 47. — (2) Act., XX, 28. — (3) Isa., LVIII, 1. — (4) Ps., XVII, 14. — (5) Hebr., XIII, 14. — (6) Prov., XIV, 34. — (7) Sap., VI, 7.

EX SS. CONGREGATIONIBUS ROMANIS SENTENTIAE NOVISSIMAE SELECTAE

Ex Congregatione Consistoriali.

Restitutio in integrum adversus sententiam alicuius S. Congregationis editam ante Constitutionem Sapienti Consilio concedenda est ab Apostolica Signatura, de commissione Sanctissimi.

— Adiutores Auditorum S. Rotae agere nequeunt munus advocati in aliqua causa, quae agatur apud S. Rotam, vel apud Apostolicam Signaturam.

— Quaestione aliqua ad sacram aliquam Congregacionem delata, et una ex partibus dissentiente quomodo ibi

(1) Epist., lib. III, 65. — (2) Epist., lib. III, 78.

res disciplinari seu administrativo modo dirimatur servanda est cum definitiva et inappellabili sententia dispositio *Normarum pecularium Ordinis* (seu *Regolamento*) cap. I, num. 3 et cap. III num. 10. Quod si Congressus dubitet de sua competentiā, rem deferat ad S. Congregationem Consistoriale pro dubiū definitione, iuxta num. 2 cap. I earundem *Normarum*. Si vero Congressus decernat, cause cognitionem ad se competere, et una ex partibus recursus ad SSnum Dominum contra Congressus resolutionē interponat, de commissione ipius SSmi quaestio de competentiā pariter a S. Congregatione Consistoriali dirimetur. Firma autem quod S. Rota, quā sit appellationis tribunal, videre nequit de instantiis in primo gradu, nisi ex commissione SSmi, in casu quo recursus penes S. Rotam interpositus fuerit contra aliquem Episcopi seu Ordinarii actum, de quo disceptetur vera ne sit sententia, an potius decretum seu dispositio disciplinari, dubium de competentiā dirimendum est iisdem, cum proportione, servatis regulis ac supra dictum est. (Ex decr. d. xi mens. Iunii MCMIX).

— Tituli episcopales Lascurrensis et Oloronensis Ecclesiae Baionensi adduntur. (Ex decr. d. xxii mens. Iunii MCMIX).

Ex Congregatione Indicis.

Per decretum d. v mens. Iulii MCMIX, in indicem librorum prohibitorum relata sunt opera quae sequuntur:

JOSEPH TURMEL, *Histoire du dogme de la papauté; des origines à la fin du IV^e siècle*. Paris, Alphonse Picard et Fils. 1908.

— *Histoire du dogme du péché originel*. Macon, Protat Frères, 1900.

— *L'Eschatologie à la fin du IV^e siècle*. Ibid., 1900.

GUILLAUME HERZOG, *La sainte Vierge dans l'histoire*. Paris, Emile Nourry, 1908.

ROMOLO MURRI, *Battaglie d'oggi*. 4 vol. Roma, Società I. C. di cultura, 1903-4.

— *Democrazia e cristianesimo; i principii comuni (Programma della Società nazionale di cultura)*. Roma, Società nazionale di cultura, 1906.

— *La vita religiosa nel cristianesimo; discorsi*. Ibid., 1907.

— *La filosofia nuova e l'enciclica contro il modernismo*. Ibid., 1908.

SOSTENE GELLI, *Psicologia della religione; note ed appunti*. Roma, Società nazionale di cultura, 1905.

— *Filosofia della fede; Appunti*. Stampato in Roma, tip. dell'Unione cooperativa editrice s. a.

FORTUNATO RUSSO, *La Curia romana nella sua organizzazione e nel suo completo funzionamento; diritto e psicologia*. 2^a ediz. Palermo, tip. Gazzetta commerciale, 1908.

Ex eodem decreto constituit Telesphorum Smyth-Vaudry decreto S. Congregationis, edito d. iv mens. Ianuarii MCMIX, quo liber ab eo conscriptus notatus et in Indicem librorum prohibitorum insertus est, laudabiliter se subieccisse; idque pariter fecisse autores librorum sub pseudonymis Lefranc et Jéhan de Bonnefoy evulgatorum et ab eadem S. Congregatione decretis dierum xi mens. Decembr. MCMVI et iv mens. Ianuar. MCMIX prohibitorum.

Ex Congregatione de Sacramentis.

Dubia circa decretum de Sponsalibus et Matrimonio. — In plenariis comitiis a S. Congregatione de disciplina Sacramentorum habitis d. XVIII mens. Iunii MCMIX nonnullis propositis dubia circa decretum de Sponsalibus et Matrimonio apud Germanos responsum est prout sequitur:

I. Responsus S. Congregationis Concilii d. XXVIII mens. Martii MCMIX (1) ad II: «Exceptionem valere tantummodo

(1) Cfr. Vox Urbis, an. XI, num. V.

pro natis in Germania ibique matrimonium contrahentibus, ita est intelligendum, ut in quovis casu ambo coniuges debant esse nati in Germania, seu respective in regno Hungariae.

II. Post extensionem Constitutionis *Provida* ad regnum Hungariae, Germaniam inter et Hungariam, quoad validitatem clandestinorum mixtorum matrimoniorum reciproca relatio non habetur, ita ut duo coniuges nati ambo in Germania matrimonium mixtum clandestinum valide ineat etiam in regno Hungariae, et, viceversa, nati ambo in regno Hungariae valide contrahant clandestino quoquo modo in Germania.

III. Neque natus saltem in Germania cum nato in regno Hungariae mixtum matrimonium valide init sive in Germania sive in regno Hungariae.

DIARIUM VATICANUM

(Die XXI mens. Iunii - d. XXI mens. Iulii MDCCCCIX)

Coram SSmo admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos Antistites aliosque viros, qui sua quiske munera gratia Pontificem de more adiverunt, peculiari nota digni sunt iuxta admissionis diem: Iosephus Rivas Groot doctor, novus Columbiana civitatis legatus extraordinarius atque administrator cum omni potestate apud Apostolicam Sedem; Heber Jackson, novus pariter legatus extraordinarius et administrator civitatis Uruguayanæ; Janusz Radzivill, Princeps; coetus mulierum sacrae superlectili procurandae pro exteris Missionibus; Bruno Chaves doctor, legatus extraordinarius atque administrator cum omni potestate Brasiliensis civitatis; I. Sanchez, Praepositus Generalis Congregationis Scholarum Piarum cum Vicariis Hispanicis; Turcica legatio ad adventum in regnum novi Turcarum Imperatoris nunciandum; Von Muehlberg doctor, Borussiae administrator apud Apostolicam Sedem; De Leininghen Billigheim Comes; Sodalites et catholicis iuvenibus in Romano athenaeo studiis vacantibus; P. Kennedy, in Friburgensi catholica universitate doctor; Blancas doctor, Argentinæ civitatis administrator apud Apostolicam Sedem; P. Michaël de Carbonara, e Franciscalium Capulatorum familia, Erythraeae coloniae praefectus.

Pontificiae electiones.

Eximi viri Aloisius Spandre, ep. tit. Tiberiad., ad Astensem cathedralem sedem; Richardus Collins, ep. tit. Selinus, ad Hagulstaden. et Novacastren.; Laurentius Chieppa, ep. Cariaten., ad Lucherinam; Ioannes Fidelis Battaglia, ep. Curien., ad eccl. tit. Cyzicen. transferuntur.

— Eximi viri Alfonsus De Wachter, Vicarius generalis Meclinien. ep. tit. Dionysfaden.; Iosephus Leo, Vicarius gen. Cariaten., ep. Nicotrien. et Tropien.; Franciscus Beltinger, Spiren. cathedral. decanus, ep. Monacen. et Frisingen.; Ioannes Fiorentini, in Mutilana dioec. parochus, ep. Tricaricen.; Georgius Gulielmus Mundlein, Brooklynien. curiae cancellarius, ep. Lorymen.; Edmundus Michaël Dunne, Chicagicensis curiae cancellarius, ep. Peorien.; Adulitus Turchi, Ancohitanae archidiaec. Vicarius gen., ep. Caiazen.; Saturninus Peri, Calaritan, metropolitanae canonicus, ep. Cotron.; Salvator Scanu, in Bisarchien. dioecesi parochus, ep. S. Marci et Bisinianen.; Aloisius Fantozzi e Congregatione Pretiosi Sanguinis D. N. I. C., ep. Verulanus; Iustinus San-

chini, Ariminensis cathedr. archipresbyter, ep. Tifernaten. renunciantur.

— R. p. Iosephus Pizzardo a secretis Apostolicae legationis Monacensis, et Franciscus Vagni a secretis Apostolicae legationis Chilensis deputantur.

— R. p. Ludovicus Billot S. I. inter indices S. Congregationis Sancti Officii adsciscitur.

— R. p. Leopoldus Fonck S. I. Pontificio Instituto Biblico praeficitur.

— R. p. Gulielmus Arendt S. I., Sacrae Poenitentiariae theologus creatur.

Varia.

Die XXVIII mens. Iunii, vespere, SS. D. N. Pius PP. X in Vaticanam Basilicam descendit, reliquias SS. Apostolorum Petri et Pauli veneraturus.

— d. XXI mens. Iulii in Xystino sacello adstante Pontifice iuxta funebria Leoni PP. XIII persolvuntur, die anniversaria VI recurrente ab eius obitu.

ANNALES

Novus Persarum Imperator.

Persici Imperatoris agendi ratio inter libertatem et cohibitionem iamdiu nutans, facile ad coniendum inducebat, fore ut res ad Turcarum similitudinem brevi evolverentur. Re quidem vera ut iuvenes Turcici, qui dicuntur, Constantinopolim die XXX superioris mensis Aprilis, sic «nationalistæ» h. e. libertatis fautores, in Perside Teheran urbem caput invaserunt, frustra obsistentibus militibus Imperatoris, qui postquam in aestivas aedes, ad Sultanabad, confugit Russicaeque legationis auxilium poposcit, regnum deinde abdicavit. Eius filius undecim tantum annos natus, Ahmed Mirza, ei sub tutela tamen suffectus est; quum is privatus vivet, habitatione et mensa pubblico sumpto comparatis. Sperare iuvat futurum ut tandem aliquando misera illa civitas tranquillitatem, qua summopere indiget, inveniat; quamquam de exteris occupationibus quidquam nondum est cautum.

Mauritana res.

Ad Mauritanum civile bellum externum etiam accessit. Quum enim cives quidam Mauritani nonnullos Hispanos opifices latrocinati essent, quumque Hispani milites Melillam urbem versus essent progressi satisfactionem petiunt; at, contra, acerrimum renoxum inveniuntur, fulmineis tormentis eam oppugnare coeperunt. Res visa est optatum finem fuisse assequuta; subiectio vero in speciem tantum erat; armis enim sibi et sociis comparatis, oppidanii in apertum certamen ex improviso descenderunt Hispanosque

adorti sunt, qui si cladem tum retulerunt, superiores tamen brevi evasere. Neque est dubium quin poenas dignitati suea consentaneas de barbaris illis sumant; eoque magis quod eventus iam satis aperte demonstraverint nullam in Mulay Afid illo novo Imperatore iam esse auctoritatem ut iura exterorum hominum iuxta promissa tueatur.



Ex infima America.

Belli rumores ex infima quoque America perverniunt. Boliviensis et Peruviana civitates ad fines quosdam suos designandos Argentine republicæ arbitrio sese commiserant; at quum sententia, per quam Figueroa Alcorta, Argentiniensium praeses, utriusque parti satisfacere per aequitatem studebat, palam facta est, Bolivienses cives eidem subiacere renuentes, per tumultus ac seditiones gubernatoribus bellum iniungere conati sunt. Maximum periculum in eo est, quod Civitates foederatae Americae Septentrionalis difficiliter ad placandos animos concurrere poterunt; Bolivienses enim, a Panamensi republica condita, contra Washingtoniense gubernium invidia incensi sunt.



Cretensis quaestio.

Dum scribimus exterarum nationum, quae Cretensis insulae quasi tutelam gerebant, copiae insulam ipsam deserunt, neque factum ullum metum aliquam circa insulae securitatem iniiciens occurrit. Literae vero ipsarum nationum tum ad Graeciam tum ad Turcarum gubernium missae neutri parti satisfecerunt, hinc ob timorem ut futurae res iuxta tamdiu concepta desideria fluant, inde ne per ambigua verba imperii iura posthabentur.

PUBLICI PER ORBEM COETUS

LEGIBUS FERENDIS

In Anglia rationes acceptorum et expensarum in examen vocatae, deque pubblico aerario acriter susceptum.

In Austria a Czevis et Slovenis ita ferendis agriculturae legibus obstitum, ut gubernarores coetus sessiones intermittere constituerint.

In Gallia de naval re quum disputaretur, Clémenceau, administratorum praeses, tam insolenter in aemulos loquuntur est, ut suffragatorum etiam suorum animos a se abalienaverit finemque dominationis ipse sibi conciverit. Ei suffectus est Aristides Briand.

In **Germania**, Buelowius officium quum abdicasset, Imperii Cancellarius electus est Thebaldus von Bethmann-Hollweg.

In **Italia** rogatio legis de maritimis conventiobibus dilata.

PER ORBEM

Die xxii mens. Iunii MDCCCIX Hotz in oppido ad Watturil ignis repente exoritur, unde decem et ultra homines misere absumuntur.

— d. xxii La Gronja in regalibus aedibus Hispanorum regina filiolam parit feliciter.

— d. xxv in russico litora maris Otsosk piscatorum Iaponiensium globus cum Russorum manus conserit. Horum quindecim necantur.

— d. xxvi Russorum Caesar eiusque uxor Stockholmam urbem tenent.

— d. xxviii, Donay, aviationis certamen habetur, in quo Blériot machina a se inventa, cui nomen ineditum «monoplanum», prima refert.

Die i mens. Iulii Messanae iterum iterumque terra quatitur. Augentur ruinae ac luctus.

— d. v in subterranea quadam via vallis Camonicae dynamitis acervus incenditur et cunicularios aliquot misere intercidit.

— vii Turicum gubernium Allatini rus ad Salonicum emit, ut inibi exsul Abdul-Hamid, Turcarum imperator de gradu depulsus, reliquam vitam transigat.

— d. viii Gallifet, Gallorum militum praefectus ille notissimus, Lutetiae Parisiorum obit.

— d. ix Poltavae, adstante Russorum Caesare, centenaria sollemnia celebris pugnae illic pugnatae celebrantur.

— d. xii Neapolitano in portu, americana navis *North Carolina* improviso machinae crepitu pessundatur; classis quidam dux mortem appetit, militesque nonnulli vulnerantur.

— d. xv vehemens terrae motus Elidem regionem concutit. Domus plures evertuntur infelices incolas sepelientes.

— d. xvi Victorius Matteucci, doctor physicus insignis, Vesuvianae speculae praefectus, immatura morte corripitur.

Londini obit Georgius Tyrrel, infelix ille modernistarum decurio.

— d. xviii, Varese in oppido Langobardorum, apoplexi exanimatur Carolus e Borbonica gente princeps, qui Caroli VII nomine Hispaniae regnum affectabat. Natus erat Laybachii d. xxx mens. Martii MDCCXLVIII a Ioanne, Hispaniae Infante, et Maria Beatrice, Francisci IV Mutinensis Ducis filia.

In Lunensi sinu prima Danorum navis mergibilis in mare immittitur.

— d. xix Albertus Latham Britannicum mare aeronavi superare incassum conatur.

AENIGMATA

I.

(a Ios. MATYASAK propositum)

1	2	3	4
5	6	7	8
1'	2'	3'	4'
5'	6'	7'	8'

Suffice numeris litteras et habebis:

- I. inter 1-4, 1-5', 8'-4, 8'-5' singillatim summam virtutem;
- II. inter 5-8, 2-6', 4'-1', 7-3 singillatim summum poëtam;
- III. inter 1'-4', 3-7, 8-5, 6'-2 singillatim summam tellurem;
- IV. inter 4-8', 5-8', 4-1, 5-1 singillatim summam urbem.

II.

In pratis pascor. Frontem mihi sigmate adauge:
In medio vastus monte recessus adest.

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad Commentarii moderatorem miserint intra menses duos, unus, sortitus, gratis accipiet opus I. B. FRANCESIA S. Benigni in Salassis recens editum, cui titulus:

TARCISIUS

ACTIO DRAMATICA VERSIBUS SENARIIS CONSCRIPTA.

Aenigmata an. XII, n. V proposita his respondent:

Mater, Ter-a, Materterta.

Ea rite soluta miserunt:

Ios. Rainelli, Arona. — Petrus Tergestinus — Henr. Johnston, *Tulamore in Hibernia*. — Iac. Cordara, *Parentio*. — Gui. Schenz, *Ratisbona*. — Alf. Martinez, *Badaicolo*. — Alois. Cappelli, *Senis*. — Vine. Starace, *Neapolis*. — Ios. Buslig, *Brasso-Corona*. — Gui. Schmidt, *Londino*. — Luidius Rhaetus, *Bucarestino*. — Lnd. Dubois, *Massilia*. — Alois. Belli, *Roma*. — F. Xav. Ghion, *Ostunio*. — Alex. P. Gest, *Trentonio*. — F. Guerra, *Aletio*. — A. Bochug, *Mödling ad Vindobonam*. — F. Arnori, *Mediolano*. — Arn. Rudzianski, *Thephelissio*. — Rich. Müller, *Berolino*. — Max. Wronski, *Nova Wies Narodowa*. — Rich. Brondel, *Brugis*. — Hermes Gini, *Aquis Taurinensis*. — Ios. Martins, *Philadelphia*. — Alb. Perraud, *Lutetia Parisiorum*.

Sortitus est praemium:

JOSEPH RAINELLI,

ad quem missum est FRANCISCI XAV. REUSS opus, cui titulus:

FABULAE SELECTAE IOANNIS LA FONTAINE

LATINE CONVERSÆ.

AEGYPTII - CAROLI M. ROSINII Comoedia

Recognovit I. F.

Cur. Quaecunque vero interroget is, vel dixerit,
Assimulato te vos, ne hilum quidem adsequi,
Donec ego interpres vestra lingua colloquor.
Iam barbarizando monstrosa expromite
Verba, utcumque libeat, quorum sententiam
Ego illi reddam. Sic nullo negotio
Probe ludemus hominem. An haesitas adhuc?
Char. Minime, Curculio; teneo belle omnia;
Sine, me... iurabis natum aegyptio solo.
Haalmair baar Blepharoi neni.
San. Haalmair baar Blepharoi neni (1).
Cur. Bene habet. Macti ambo estote, aegyptia soboles.
San. Tuque adeo Aegyptium creator optume.
Char. Pol! Quam sapit tibi iecur, Curculio.
Cur. Unum nunc restat, ut ornata vos barbaro
Exornem. Eamus ergo usque domum.. San. Ut iubes.
Char. Eamus. Lepida prorsus erit comoedia (2).

SCENA IV.

Iphierates, Stratilax.

Iphi. Nec dum mihi factum est indicium illorum hospitum.
Heus tu, adcede huc. Stra. Hem! hic deerat denique (3).

- (1) *Dicunt haec pleno gutture semet contorquentes.*
- (2) *Plaudentes exent.*
- (3) *Aegre anhelitum ducit ambulans.*

Iphi. Cur non adcedis? Stra. Onustus ego sum, mi bone.
Iphi. Vin' onerem te verberibus? atque in vincula
Coniiciam? Stra. Ecum me (1). Iphi. Quid fers hac in
[cistula]
Stra. Opsonia. Iphi. Sine, videam, an sint opsonia.
Stra. Vide. Iphi. Babae! bene obsonat hodie herus tuus.
Stra. Cum ieunamus cottidie, nemo videt.
Iphi. Nonne Blepharonis servus es tu? Stra. Scilicet.
Iphi. Ipsum tenacem hominem novi. Stra. Nostri probe.
Iphi. Quid ergo hodie tam in coenando prodigus?
Stra. Natalis namque est hodie pupuli sui.
Iphi. Praeter se, et filium, num quis alius est domi?
Stra. Ego, et feles. Iphi. Tantum opsoni viris tribus?
Non congruit. Stra. Tantum me iussit emere;
Idcirco fatalem ipsi portendi diem.
Iphi. Fortasse expectat hospites. Stra. Id nescio.
Iphi. Vade igitur. Stra. Nunc vado. Mihi equis verbera
Excutiet, cum diu moratus sim foris? (2).
Iphi. Ne paveas. Ne hinc quidem quid expiscarier
Licit; hoc tamen oculos intendere iuvat (3).

(1) *Parumper sistit déponens cistulam.*

(2) *Secum loquitur.*

(3) *Exit.*

(Pergit in pag. seq.)

DESCLÉE ET SOCII - EDITORES PONTIFICII

ROMAE — Piazza Grazioli, palazzo Doria — ROMAE

D'ANNIBALE Card. JOSEPHUS

SUMMULA THEOLOGIAE MORALIS

Edilio quinta
diligenter revisa et emendata

Tria volumina in 8° gr.; pag. 1500 (Romae 1909) libell. 13,50

SUPPLEMENTUM EDITIONI QUINTAE SUMMULAE THEOLOGIAE MORALIS

Romae 1909

Vol. unicum in 8° (proxime prodibit) libell. 1,00

N. B. Summulam acquirentibus dabitur gratis hoc Supplementum.

D'ANNIBALE Card. JOSEPHUS

In constitutionem Apostolicae Sedis quæ censuræ latæ sententiae limitantur

COMMENTARII

EDITIO QUINTA

1 vol. in 12; pag. 158 libell. 1,50.

CARBONE Dr. CAESAR

DE MODERNISTARUM DOCTRINIS

TRACTATUS PHILOSOPHICO-THEOLOGICUS

AD CLERI SCHOLARUMQUE PENITIOREM INSTITUTIONEM

Vol. unicum in 8; pag. 500 libell. 4,50.

COSTANTINI VICTORIUS

INSTITUTIONES THEOLOGIAE MORALIS

EDITIO TERTIA ACCURRIOR

3 vol. in 8; pag. 800 libell. 5.

P. ALBERS S. I.

ENCHIRIDION

Historiae Ecclesiasticae Universae

AD RECOGNITAM ET AUCTAM EDITIONEM NEERLANDICAM ALTERAM
IN LATINUM SERMONEM VERSUM.

- Tomus I. *Aetas prima, seu christiana antiquitas: annis 1-692.*
- II. *Medium aevum: annis 692-1517.*
- III. *Nova tempora: annis 1517-hodiernum diem.*

Pretium totius operis, in tres partes divisi, erit libell. 14.

SCENA V.

Blepharo, Cleonymus, Stratilax, Curculio.

Camera.

Ble. Tu quoque, mi gnate, in Aegyptum ibis postea.
 Cle. Aegyptus, quaeso, ubinam gentium habitat?
 Ble. Aegyptus est urbs, pape mi, in Hispania,
 Ni fallor (1). Cle. Hui, tata mi, longum nimis est iter;
 Nolo ire tam longe. Ble. Tecum veniet tata
 Tuus: illic argentum, illic aurumque foditur.
 Stra. (2) Heus here, aperito. Ble. Hem, accure nunc nunc,
 [gnate mi (3).
 Ble. Redis tandem, pessume? Stra. Redeo. Ble. Cur tamdiu
 Moratus es? Stra. Sciebam ego; haec mihi gratia
 De more habetur, cum sudore diffuso (4).
 Ble. Emisti cuncta, que iussi? Stra. Emi iam omnia.
 Cle. Nuces etiam? Stra. Nuces, castaneas, caricas,
 Uvam passam, nec non scombrum tripodium
 Suillae libras denas, et bellaria.
 Cle. Et caseum? Stra. Papae! recentem caseum
 Molliculum, dulcidulum. Cle. Hem creput ostium (5).
 Ble. Auferte haec intro, adventant nam, reor, hospites.
 Equis fore pulsat? Cur. Amicus Curculio.
 Ble. Is est. Patae fore amicorum optumo.

(1) Loquitur senex usque ad ni fallor voce blandienti ad puerum.
 (2) Intus.
 (3) Cleon. portam aperit; Stratilax ingreditur.
 (4) Fletum simulans.
 (5) Quum logitur Stratilax, ostium crepare auditur.

HOROLOGIUM

ad Roskopfii rationem
 in germanicis Officinis fabricatum



sociisque Commentarii Vox Urbis
 qui subnotatores novos
 acquisiverint duos
 praemio constitutum



sociisque singulis Commentarii VOX URBIS dono concessum



CAESARIS TIRATELLI tabula
 baptismalem pompam in Campania referens (metr. 0,60 × 0,40)
 sociis omnibus qui novum unum acquisiverint
 gratuito donatur.

SCENA VI.

Curculio, Charinus, Sannio, Blepharo, Cleonymus, Stratilax.
 Cur. Te plurimum salvere iubeo, Blepharo,
 Atque generosos hosce ex Aegyptio advenas
 Tibi sisto, ex quibus hospitalem tesseram,
 Ni renuis, accipies hodie. Ble. Di bene te ament,
 Curculio, qui istos ad me adducis hospites;
 Tibi grates habeo, qui tanti me facis.
 Et vos salvete, amici. Char. Barbar.
 San. Barbar. Stra. O lepidum negotium!
 Cur. Aegyptiorum linguam calles, arbitror (1).
 Ble. Non admodum. Cur. Sed pro tuo ingenio tribus
 Diebus quam facilime disces. Ego
 Inter ea vestrum interpres ero fidissimus.
 Barbar. Barbar.
 Char. Barbar.
 Cur. Se nostram linguam nescire graviter ferunt (2).
 Ble. Non est quod doleant: veniam petimus, et damus
 Vicissim. Cur. Babae! Ble. Dic, quaeso, consideant.
 Cur. Barbar. . . . Char. Barbar. . . . San. Barbar. Stra.
 [Puto
 Culices originem ex Aegyptio ducere;
 Namque itidem, ut isti perstrepunt, here mi... Ble. Tace.
 Quae audacia! Quod illis nomen, Curculio?

(1) Irridens secum loquitur.

(2) Interpretari coepit.

(Ad proximum numerum).

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus.

ROMAE — Ex officina Pacis, Phil. Cuggiani.

NUMISMA

iubente Consilio Centrali
 ad
 Pii PP. X Sacerd. Jubilaeum
 celebrandum
 expresse descriplum ei cusum

PROSPECTUS SUBNOTATIONIS

COMMENTARII VOX URBIS IN AN. MDCCCXIX

Pretium annuae subnotationis est in Italia Libell. 6

ubique extra Italiam Libell. 9

(Doll. 1,80; Sh. 7; Mark. 7; Rubl. 4; Coron. 9)

recto tramite mittendum

ad ARISTIDEM LEONORI Equitem

Commentarii "Vox Urbis", possessorem et administratorem

ROMAM, Piazza del Gesù, 48

Praemia sociis constituta:

Ex subnotatoribus quisque

numisma, iubente Centrali Consilio ad
 Pii X P. M. Jubilaeum Sacerdotale cele-
 brandum expresse cusum et extra commercium habitum, dono accipiet.

Novi subnotatores singuli

praeterea Vox Urbis kalendario fruentur,
 quod socii, qui iam superioribus annis ha-
 buerunt, obtinere simul poterunt, dummodo subnotationis pretio lib. 0,25 ad diribitorii expensas
 resarcendas addiderint.

Qui socium novum acquisiverit unum,

eiusque subnotationis
 premium cum suo mi-
 serit, gratis accipiet Caesaris Tiratelli tabulam metr. 0,60 × 0,40 a celeberrimo Urbano S. Mi-
 chaelis hospitio splendide caelatam, baptismalem pompam in Campania referentem. — Ab hoc
 tamen et sequentibus praemiis bibliopole excipiuntur.

Qui socios novos acquisiverit duos

ut supra, horologium sibi
 habebit in Germanicis of-
 ficiis ad Roskopfii rationem nobis fabricatum.

Qui socios novos acquisiverit tres

eorumque subnotationis pre-
 tium miserit, a pretio suo
 solvendo eximetur.

Qui socios novos viginti quinque coegerit

ante Iulium
 mensem, di-
 midiatum premium itineris habebit ab Italiae finibus Romam usque, atque inde in dissectionis
 Italicae stationem, secunda, prouti vocant, ferriveharum classi usus.

Qui socios novos coegerit quinquaginta,

uti supra, eodem
 itinere gratis om-
 nino gaudebit.

Franciscus Ciapponi et Soc.

OFFICINA
ANAGLYPTIS, GEMMIS CONCHISQUE
CAELANDIS
PRAESERTIM IN REDDENDIS FIGURIS
PHOTOGRAPHICE EXPRESSIS

Diligentia in opere.

Temperantia in pretio.

ROMAE, Via Sistina, 129

Gulielmus Gaudenzi

ROMAE

Tor Sanguigna, 2-3 - Via Coronari, 1
cuique suppeditat coronas, numismata, Christi crucifixi effigies, Sanctorum imagines tum insculptas tum omnibus modis impressas, metallis caelata opera ad sacra vel ad reliquias reponendas, pietatis libros, omniaque in Puellarum Mariae usum; pulchrarum artium specimina, musiva, caelatas sculptas gemmas et similia; quorum maximum apparatus possidet.

Gallice atque Hispanice loquitur.

Diversorium magnum, cui a Minerva nomen (Grand Hôtel de la Minerve)

ROMAE, Piazza della Minerva

Diversorium inter optima Romae, in Urbis centro, recens omnino instauratum et commodis omnibus instructum.

Sacellum pro Sacerdotibus ad sacra litanda

LEOPULDUS SCOTTI, moderator.

SUPELLEX
AD RES DIVINAS

Commentarii Vox Urbis administratio recto tramite suppeditat suppellectilem omnem, qua tum in templis, tum in oratoriis ad res divinas uti solemus.

Mandata ad Vocis Urbis administratorem (Romam, Piazza del Gesù, 48) mittantur, res praecise indicando quas quisque sibi cupit.


Gratuito sumptuum aestimatio fiet.

Apud Comm. VOX URBIS administratorem (Romae, piazza del Gesù, 48) quae sequuntur opera venumdantur, per Commentarii ipsius paginas iam vulgata:

PETRI ANGELINI Lollius sive *De proecta latinitate*. — Ven. lib. 1,50.

Fabulae selectae Ioannis La Fontaine latine conversae a FRANCISCO XAVERIO REUSS, C. SS. R. — Ven. lib. 1,25.

Saturio. Comoedia latinis versibus conscripta a IOANNE BAPTISTA FRANCESIA. (In ludis litterarum optima tironibus scenice agendi exercitatio). — Ven. lib. 1.



DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Semel in mense prodit

Premium annuae subnotationis, *ante solvendum*, est:

In Italia: Libellarum 6;

ubique extra Italiam: Lib. 9 (Doll. 1,80; Sh. 7; M. 7; Rubl. 4; Coron. 9)

Cuncta mittantur ad ARISTIDEM LEONORI equitem

Commentarii VOX URBIS possessorem et administratorem

ROMAM - Piazza del Gesù, 48 - ROMAM



Subnotatio fieri potest:

IN GALLIA
apud
Librairie Gamber

Paris
Rue Danton.

IN ANGLIA
apud
Burns and Oates

London W.
28, Orchard Street.

IN RUSSIA
Varsaviae Polonorum
apud
Gebethner et Wolf

Rakowskie Przedmiescie, 15.

"Kronika Rodzinna"
Krakowskie Przedmiescie, 6.

IN CANADA
apud
Librairie Granger Frères

Montreal
1690, Rue Notre-Dame.

